

6.

Q. D. B. V.

# DEMONSTRATIONIBVS ANATOMICIS IN CORPORE FOEMININO

d. 5. Maj. hora pomeridiana

a V. ad VI. incloandis

QVOTQVOT INTERESSE DESIDERANT  
PEROFFCIOSE INVITAT

CAROLVS AVGVSTVS à BERGEN,  
Med. D. & Prof. Extraordinarius.

---

FRANCOFVRTI ad VIADRVM,  
Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.



natomen paucissimis adamata, pluribus  
spretam, à multis retro seculis in hunc  
usque diem opprobriis pene multis vexa-  
ri, & ab osoribus negligi, ne dicam è foro  
medico proscribi, mirari utique non satis  
possum, facile enim ex codice sacro æq;  
ac ex profanis Scriptoribus probatum da-  
rem, omnes fere artes ac scientias, anatome longe preftan-  
tiores, communi quodam fato in hunc usque diem non  
omnibus æque probari, sed laudari ab his, culpari ab illis,  
hisque perversis hominum judiciis artibus plane nullum  
preium statui, ut quid recte de his sentiant, vel in quo ac-  
quiescant, vix habeant nec inveniant, qui operam optimâ-  
rum rerum studiis navant.

Nemo autem erit, quin libere mecum fateatur, medici-  
nam quovis tempore quidem excultam, non paucorum  
tamen ore spretam, & nauci plane factam esse, eamque præ-  
primis partem, quæ ab anatome nomen sibi vindicat, ini-  
qua ejusmodi fata perpetim adhuc experiri, cum vel  
ii, in quibus præconceptæ opinionis vis primas tenet,  
constanter jurent in verba magistri, malintque majorum  
præceptis, quanquam erroneis, inniti, quam recentio-  
rum conatibus fidem adjicere ullam; vel alii nimis fu-  
perstitiosi, piaculo sibi ducant, mortua tractare cadavera;  
vel prorsus alii temperamenti sui, ac malæ consuetudinis  
causa confpectum cadaveris perhorrescentes sectiones pla-  
ne fastidiant. Adeo, ut, quod ipsis ex his caussis adverse-  
tur, præpostere illico damnent vel saltem naso suspen-  
dant adunco.

Quo vero tales iniqui censores aliquam veri speciem  
præferant, probra non pauca corradunt, quibus præstan-  
tissimam artem lacefunt & turpiter profundunt; quæ  
cum prima fronte speciosa quidem videantur imperitis, ta-  
lia autem non fint, non levem sane mihi caußam præbent,  
quamobrem hæc omnia ad rectæ rationis examen paulo  
accuratius revocem, quo tanto rectius constet, quanti præ-  
tii

tii quantique ponderis merito hæc tandem haben da  
sint.

Ac primum quidem artis hujus osores communiter incu-  
sant administrationis anatomica crudelitatem, quandoqui-  
dem non paucis vel solo aspectu horridum videtur, dissolvere  
discindere, diffingere compagem corporum pulcherrimam,  
dele etari squalore, cruore manantium viscerum, quæ abstru-  
fa voluit natura, incongruo ausu plane omnium exponere  
oculis & sine fronte nudare, ac quæ vulturum, corvorum & le-  
onum propria sunt, ab anatomicis laboriose suscipi, illosq; te-  
stimonium suæ innocentia ab ipso Tertulliano petentes  
lanionum nomine potius medicos plusquam acerbe tradu-  
cere. Sed enim vero, præterquam, quod TERTULLIANUS  
Herophilum atque Erasistratum omni jure homicidii reos  
agat & capit is ex hoc damnandos merito censeat, quod vi-  
vos homines plusquam immani saevitia, si alioquin vera  
sint CELSI de his verba, sectioni subjecerint, hodie talia  
in præstantissimam artem opprobria non cadunt, nec ali-  
am ob causam proin crudelitatis delicto notari merentur  
artis anatomicae cultores, quam scriinarii sculptores & sta-  
tuarii, qui varia sua instrumenta lignis & lapidibus appli-  
cant, illaq; in formas mutant varias; hoc cum discrimine,  
ut hi suis laboribus mortalium luxui inserviant, illi &  
physiologiam & pathologiam mirifice illustrantes, sum-  
mi creatoris gloriam proximique salutem promoveant. Id  
quod exemplis quam plurimis evictum darem, si res hæc  
hujus loci & instituti esset.

Eodem recedit eorum argumentatio, qui nimio antiqui-  
tatis studio in veterum laboribus unice acquiescendum  
esse, atque profus sufficere medico volunt, scire ea quæ  
veterum medicorum in primis *ανθρωποι* quorundam scrip-  
ta reliquere. Sed vereor, ne conscientiam contra & experi-  
entiam hi loquantur, docuit enim dudum historia medica,  
pacem post tempora GALENI, ERASISTRATI, HERO-  
PHILI aliorumque studio anatomico datam, irreparabile  
rei medicæ intulisse damnum, natamque hinc esse sum-  
mam barbariem, non nisi exterminato auctoritatis mon-  
stro

stro superatam. Tum enim singuli & fere ad unum omnes, quidquid in dubium venire poterat, solvebant ex GALENO, stante pro ratione auctoritate, ratum temporibus illis habebatur, cum GALENO errare potius, quam cum aliis recte intelligentibus, contra ipsum afferere quicquam.

Mitius equidem, attamen non melius, sentiunt, qui dicunt, esse contra gravitatem medicorum, tractare cadavera humana, sordidumpotius hoc opus chirurgis, ministris medicorum, relinquendum esse, sufficere, si ex horum relationibus & veterum de re anatomica observationibus rebus adstruere possint fidem. At enim vero, non video, quomodo ægris adstantes hi salivam, sudores, urinam, aliosque ex creatos liquores sollicite oculis & naribus excipientes gravitatem hanc jaætatam servent intemeratam, quæ mihi prorsus imaginaria videtur, aut utrorumque labor dedecoris plenissimus inferioris sortis hominibus relinquatur oportet.

Sunt qui eximios quidem fructus ex anatomes studio sibi pollicentur, sed nefas ac probrosum ducunt humana secare cadavera; quare magis inclinant ad *ζωοτομιαν* seu anatomiam comparativam. Sed & hi frustra rem perexigui momenti, non habita discriminis ratione, in crimen vertunt, non fatis attendentes, plura in corpore humano dari brutorum in corporibus nunquam invenienda, nec per illa fatis explicanda. Constat quidem plures brutorum sectiores, intuitu quarundam partium magni æstimari, ubi sc. sufficiens cadaverum humanorum desideratur numerus; prouti VALSALVA (*a*) auris humanæ loco commendat aurem ovis vel aquilæ rupeæ. Quo respectu etiam SEVERINVS. (*b*) capit is humani cum iis brutorum, hominisq; variarum partium analogiam cum simiis & avibus eleganter ostendit. Quorsum porro pertinet lienis vitulini cum corpore penis spongioso & testudinis ad demonstrandum cutis humanæ reticulare corpus similitudo, nec non balenæ ævaloyia, cuius & ubera & intestina quam proxime ad humana accedere dicuntur. Humanis autem cadaveribus non deficientibus hominis anatomia primas sibi merito vindicat longo-

(*a*) In tr. de auro humana. (*b*) In Zootomia Deocriteam,

longoque post se intervallo comparativam relinquit.  
Quanti enim momenti res sit, situm & figuram partium  
C. H. quæ iterum quorundam viscerum ratione ex demon-  
strationibus Zootomicis cognosci nequeunt, exquiste nosse,  
paulo exercitatiores in secando sufficienter intelligunt. Ta-  
ceo nonnullarum partium, ut cerebri, nervorum & muscu-  
lorum exquisitam cognitionem ex brutis frustra quæri.

Qui rationibus quibusdam afferere audent, administra-  
tiones anatomicas ob sorditiem, indeque natum fastidium,  
merito nauci faciendas, quin hoc nostro ayo plane super-  
fluas esse, ex hoc, quod multae adeo tabulae anatomicae ele-  
gantissimis iconibus illustratae prostent, nec non varia præ-  
parata anatomica ex indefensis praetrali RUYSCHII, BIAN-  
CHII, DESNOUES, aliorumq; laboribus hinc inde in Thea-  
tris anatomicis asserventur, ut factu facillimum sit, anatomes  
cognitionem ex tanto rerum apparatu sibi acquirere; Hisce  
merito respondeo, prostatre equidem hodie elegantissimas  
tabulas VESALIANAS, EVSTACHIANAS, BIDLOIANAS,  
COVPERIANAS, aliasque plures ex quibus quantum  
tyro anatomes proficere posit, vel ipse satis ex inopia ca-  
daverum hisce inspiciendis intentus, plus satis cognovi,  
persvasifimus nihilominus longe non omnia phenome-  
na rite ex his, quam ex cadaverum & sectione & attenta  
inspectione, observari posse, ut sunt partium mollities,  
fluiditas, durities, soliditas, elasticitas, color nativus, &  
plura alia rem, ipsam melius illustrantia.

Acute porro philosophari sibi videntur, qui à corpore  
mortuo ad vivum argumentari verentur, atque vel ideo  
insignem anatomiz præstantiam in dubium vocant, cum ex  
adverso verissimum sit, longe minori difficultate partium  
in�simis solidarum structuram in mortuis melius quam vi-  
vis perspici & perquiri posse. Dum ultimorum intuitu hor-  
rendæ scil. convulsiones, quamdiu vita superstes, viscera  
pleraque, vinculis solutis, ex situ suo deturbant, sanguis con-  
tinuo manans viscera inundat & administrationem ipsam  
subinde reddit irritam. Minime autem subinde inficiendum  
esse reor, vivorum animalium aperturam multum, imo pluri-  
mum

mum valere in indagandis fluidorum qualitatibus, itemq;  
motibus viscerum vitalibus rite contemplandis, id quod ex  
invento circulo Harveano liquet evidentissime.

Supersunt qui ex eodem fere capite ἐνζείπετες anatomicas  
damnant, quod sanitati quam maxime officiant & corpora  
alias sana propter squalidas exhalationes ad morbos disponant:  
quibus merito replico, veritati & experientia relata  
humanorum cadaverum exhalationes putredinosas  
plurimis illico noxias esse posse, sed tum demum, quando  
cadaver insignem putredinis gradum jam concepit, quod  
spatio paucorum dierum, præprimis hyberno tempore,  
quo ordinarie labores hi instituuntur, fieri nequit. Taceo  
sufficientem cadaverum numerum hoc incommodum facile  
præoccupare & avertere.

Quod denique plurimis vel solo aspectu sectio anatomica  
horrida, quin plane adeo fastidiosa sit, ipsam artem  
non ferit, neque maculat, sed horum potius, qui à re  
levissima animo perquam graviter turbantur, imbecillita  
tem prodit, quibus nihil magis expediret, quam ut ab his  
sacrificiis quam longissime abessent.

Plura equidem sunt quæ artis cavillatores eidem perpe  
ram objiciunt, sed talia hæc esse autumo, quæ vix refutari  
merentur. Longe meliori jure anatomæ laudes deprædicare  
mihi liceat, quibus reliquis scientiis fese commendat & in  
servit plurimum. Siquidem nemo, nisi qui vel studio cœ  
cutire velit, inficiabitur, anatomæ theologia naturali indu  
bia & in concussa divinæ existentia suggestere argumenta,  
atque admirandam corporis humani strukturam de sapienti  
ssimo ejus conditore plus quam luculentissima exhibere  
testimonia, in cujus rei fidem si vel solius cerebri humani ele  
gantissimam & tenerissimam strukturam, ejusq; insignem mo  
lem & magnitudinem, qua statim à prima conceptione ho  
mo à brutis distinguitur, hic loci adducere præsumam, nul  
lus dubito, quin unicuiq; facile constet, cur homo præ bru  
tis longe excellentiores edat functiones animales, cur ani  
mal dicatur rationale, & cerebrum recte mentis humanæ  
sedes & domicilium audiat, quo rite constituto homo crea  
torem

torem suum cognoscit, submisse veneratur, pioque semper cultu prosequitur.

Non minorem usum jurisprudentiae praefat anatome, quoties enim cunque judex forensis in casibus perplexis ad utramque scientiam, tam jurisprudentiam quam medicinam spectantibus, medici judicium in subsidium requirit, toties non Practici, non Pathologi, non Chymici, non Botanophyli, sed anatomici consilio & judicio opus habet: Toto hinc die sollicitare judices videoas medicos, vel quando de partus vitalitate, vel de partus exturbatione quæstio mouetur, saxe etiam quando dubitar Justinianus, an Cajus impotentia sit accusandus? an Titia sit habilis ad matronium? an Sempronia possit haber virgo? vel an mulier uterum gerere simulet? Et ventri custos constitendum sit? Similiter an incarcerati nimia vinculorum compedium ac catenarum arctitudine obierint? an fenes, gravidæ, gibbosæ à turtura liberi sint? Quo morbo vel mortis genere mortui in via publica reperti perierint? Et quæ hujs generis plura sint. Nunquam tamen frequentius judicium anatomici requiritur, quam ubi de lethali vulnerum judici forensi sententia ferenda est, tum enim Medico inconsulto id fieri nequit,  
„id maxime præterea prohibente Imperatore Carolo, ita e-  
„nim ille: (a) Si quisquam fuerit vulneratus & ab hinc mor-  
„tuus ut hujs corpus diligenter inspiciatur, ubi & quomo-  
„do fuerit inflictum? Quænam partes fuerint lata? exæcte  
„notentur, describantur & judicium ab hinc formetur de  
„lethalitate, an immediate mors subsequi poterit.

Silento autem lubens prætermitto fructus ex necessitate à Medico petendos, quos medica ars in salutem tot ægrotantium florente anatome subministrare solet. Nemo siquidem adeo rerum medicarum erit rudis, quin mecum ingenu confiteatur, medicum anatomiæ minus peritum, medicum agere imperfectum, qui nec morbi causam rite perspicere, multo minus eandem explorare potis est. Laudabili hinc instituto Doctores Medici tyronibus suis anatomen, ceu solidum atque unicum fundamentum, cui au-

gustum

---

(a) Constit. Crim. Carol. art. 147.

gustum scientiæ Medicæ palatum superstruant, de meliori commendant. Sed ab his & similibus nunc abstineo, ne longiori encomio id exornare videar quod se satis superque sua necessitate commendat. Potius humillimæ gratitudinis memor, non sine submissso animi cultu deprædico & veneror SERENISSIMI ac POTENTISSIMI REGIS NOSTRI FRIDERICI WILHELMI PATRIAE PATRIS longe Benignissimi nunquam satis deprædicandam Clementiam, qua non ita pridem potestatem mihi clementer fecit, hominum ob atrocissima delicta ad supplicia raptorum cadavera per Neo- & Mesomarchiam undiq; conquirendi, eademq; in usum juventutis academicae publice in theatro cultro anatomico subjiciendi. Quo fine cum hisce diebus in manus meas ex Fortalitio Cüfrinensi infanticida cadaver venerit, hujus sectioni die crastina & sequentibus vacabo, quam ut Rector Universitatis Magnificus, Proceres Academiæ Excellentissimi, Generosi atque Nobilissimi Academiæ Cives frequenter præsentia sua condecorent, ea qua par est observantia omnes & singulos humanissime & officiose invito. P. d. 4. Maji 1734.



01 A 6507


f




TA-706

nur 10. Seite bis vor verknüpft

VDK





Q. D. B. V.  
DEMONSTRATIONIBVS  
ANATOMICIS  
IN CORPORE FOEMININO

d. 5. Maj. hora pomeridiana  
a V. ad VI. incbandis

QVOTQVOT INTERESSE DESIDERANT  
PEROFFICIOSE INVITAT

CAROLVS AVGVSTVS à BERGEN,  
Med. D. & Prof. Extraordinarius.

---

FRANCOFVRTI ad VIADRVM,  
Typis PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.